Die digitale Landesbibliothek Oberösterreich

oö landes bibliothek

Terms and Conditions
The Library provides access to digitized documents strictly for noncommercial educational, research and private purposes and makes no warranty with regard to their use for other purposes. Some of our collections are protected by copyright. Publication and/or broadcast in any form (including electronic) requires prior written permission from the Library.

Each copy of any part of this document must contain there Terms and Conditions. With the usage of the library's online system to access or download a digitized document you accept there Terms and Conditions.

Reproductions of material on the web site may not be made for or donated to other repositories, nor may be further reproduced without written permission from the Library

For reproduction requests and permissions, please contact us. If citing materials, please give proper attribution of the source.

Imprint:
Director: Mag. Renate Plöchl
Deputy director: Mag. Julian Sagmeister
Owner of medium: Oberösterreichische Landesbibliothek
Publisher: Oberösterreichische Landesbibliothek, 4021 Linz, Schillerplatz 2

Contact:
Email: landesbibliothek(at)ooe.gv.at
Telephone: +43(732) 7720-53100

sum mundi. Hec cum dixisset: expuit in terram et fecit lutum ex sputo et linivit lutum super oculos ceci. Et dixit ei: Vade et lava in natatoria Syloe, quod interpretatur missus. Abiit ergo et lavit et venit videns.

Sed non ipse pro peccato suo, sed ut cecus nasceretur. Ipse autem causam dicturus quare cecus sit natus, cum subdit: Sed ut manifestentur opera dei in illo. Criso(stomus). Non autem ex hoc ostendit quod alii ceci facti sunt propter peccata parentum. Neque enim contingit uno peccante alium puniri. Quod autem dicit: Ut manifestentur opera dei, de se ipso dicit, non de patre. Illius enim gloria iam manifesta erat. Sed numquid iste iniusta passus est? Sed ego beneficium accepisse dico per cecitatem. P(er) tace(re) interioribus respexit oculis. Qui non ex non ente adducere eum deduxit: potestatem habebat absque iniuria et ita eum dimittere. Ut autem quidam dicunt, hic non est causativum, sed significat eventum, sicut et illud: Lex subintravit ut habundaret delictum. Sic et hic consequitur mentio, ut dominus oculos clausos aperiens et alia naturalis infirmitatis nocumenta corrigeret,
i. mor. suam demonstravit virtutem. Greg(orius). Alia itaque est percussio qua peccator percutitur ut sine retractatione puniatur. Alia qua peccator percutitur ut corrigatur. Alia qua quisque percutitur non ut preterita corrigat, sed ne ventura committat. Alia per quam nec preterita culpa corrigitur, nec futura prohibetur, sed dum inopinata salutis percussionem salvantis virtus cognita ardentius ametur. Criso(stomus). Et quod de se ipso dixit: Ut manifestetur gloria dei, subiungit: Me oportet operari opera eius qui misit me, id est me oportet manifestare me ipsum et facere ea que manifestant me per eadem facientem. Beda. Cum enim filius se operari opera patris asserit, sua et patris opera eadem esse monstravit, que sunt: infirma salvare, debilia roborare, homines illuminare. Aug(ustinus). Verum hic autem dicit: Qui misit me, universam gloriam dat illi de quo est, quia ille habet filium qui de illo sit; ipse non habet de quo sit. Criso(stomus). Addidit autem: Donec dies est, id est donec licet credere hominibus in me, donec vita hic consistit, oportet me operari. Et hoc ostendit cum subdit: Venit nox quando nemo potest operari. Nox dicta est secundum illud: Proicite eum in tenebras exteriores. Ibi ergo erit nox ubi nemo possit operari, sed recipere quod operatus est. Cum vivis fac siquid facturus es. Criso(stomus). Ultra enim nec fides est nec labores nec penitentia. Aug(ustinus). Si autem in nobis operamur, hic est dies, hic est Christus. Unde subdidit: Quamdiu sum in mundo, lux sum mundi. Ecce ipse est dies. Dies iste qui circuitu solis impletur paucas horas habet. Dies presentie Christi usque in consummationem seculi extenditur. Ipse enim dixit: Ecce ego vobiscum sum usque in consummationem seculi. Criso(stomus). Quia non sermonem quem dixerat per opera credi fecit, subiungit evangelista: Hec cum dixisset, expuit in terram et fecit lutum ex sputo et linivit super oculos ceci. Qui autem maiores sibi de nichilo adducere potuit, multo magis oculos sine materia fecisset. Sed voluit docere se ipsum esse creatorem qui in principio usus est luto ad hominis formationem. Ideo autem non aqua utitur ad lutum faciendum sed sputo, ut nichil ascribatur fonti, sed discas quoniam